



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] homicidium casuale sit peccatum mortale? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

cato: vt patet in iudice, qui iussu aliquem condemnat ad mortem. Et propter hoc clericus, etiam si se defendendo, interficiat aliquem, irregularis est: quamuis non intendat interficere, sed seipsum defendere.

Ad quartum dicendum, quod actus fornicationis, vel adulterij non ordinatur ad conseruationem propriae uitæ ex necessitate, sicut actus, ex quo quandoque sequitur homicidium.

gl. interl.
ibid.

Ad quintum dicendum, quod ibi prohibetur defensio, quæ est cum liuore vindictæ. Vnde glos. * dicit, Non vos defendentes, id est, non sitis referentes aduersarios.

ARTIC. VIII.

Utrum aliquis casualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum?

363

4. d. 25.
q. 2. a. 2.
q. 2. ad 3

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod aliquis casualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum. Legitur enim Genes. 4. quod Lamech credens interficere bestiam, interfecit hominem: & reputatum est ei ad homicidium. Ergo reatum homicidij incurrit, qui casualiter hominem occidit.

*in decr.
d. 50. c.

miror, et

c. Clericū

et c. de

his cleri-

cis, et c.

Si quis

viduam.

† ep. 154.

nō mul-

tū procul

d. si. epist.

rom. 2.

¶ 2. Præterea, Exod. 21. dicitur, Si quis percusserit mulierem prænantem, & abortiuum secerit; si mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. Sed hoc potest fieri absque intentione occisionis. Ergo homicidium casuale habet homicidij reatum.

¶ 3. Præterea, In decretis dist. 50. * inducuntur plures canones, quibus casualia homicidia puniuntur. Sed pœnæ non debentur nisi culpæ. Ergo ille qui casualiter hominem occidit, incurrit homicidij reatum.

SED contra est, quod August. † dicit ad Publicolam, Absit, vt ea quæ propter bonum ac licitum facimus, siquidē propter hoc præter nostram voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur. Sed cōtingit quandoque, vt propter bonum aliquod facien-

facientibus, homicidium consequatur casualiter. Ergo non imputatur facienti ad culpam.

RESPONDEO dicendum, quòd secundum Philosoph. in 2. Physi. * Casus est causa agens præter intentionem. Et ideò ea quæ casualia sunt, simpliciter loquendo, non sunt intenta, neque voluntaria. *li. 2. tex. 49. et 50 10. 2.*

Et quia omne peccatum est voluntarium, secundum August. consequens est, quòd casualia, in quantum huiusmodi, non sunt peccata: contingit tamen, id quod non est actu, & per se volitum vel intentum, esse per accidens volitum vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur remouens prohibens. Vnde ille qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat remouere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Vno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit. Alio modo quando non adhibet debitam sollicitudinem. Et ideò secundum iura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidij reatum. Si verò det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non euadit homicidij reatum, si ex eius opere mors hominis sequatur.

Ad primum ergo dicendum, quòd Lamech nõ adhibuit sufficientem diligentiam ad homicidium vitandum, & ideò reatum homicidij non euasit.

Ad secundum dicendum, quòd ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ. Et ideò si sequatur mors vel mulieris, vel puerperij animati, non effugiet homicidij crimen: præcipue cum ex tali percussione certum sit, quòd mors sequatur.

Ad tertium dicendum, quòd secundum canones imponitur pœna his qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.